

1217.

V 3.

Johannes Oporin<sup>1)</sup> an Vadian.*Basel. 1542. Januar 21.*

Oporin übersendet Vadian die Schrift Luthers wider den Türken und Briefe an Laurentius Torrentinus und Arnold Arlen. Biblianders Consultatio. Die Pest hat nach dem Tode Karlstadts und des Hieronymus Rætus erheblich nachgelassen. Noch einmal der Streit wegen der akademischen Grade. Bucer an Myconius über die Zwietracht der Fürsten und Städte.

S. Scripsit libellum de Turca sive Exhortationem potius ad preces contra Turcam nuper Lutherus. Eius mihi copia ab D. Iacobo Milichio, philosophiæ professore Wittenbergæ, facta est. Eum igitur, quia non displicuit etiam nostris hominibus, hic ad te mittendum duxi, si forte illum legisse etiam te iuvare posset. Remittes autem ad nos, ubi legeris; nam aliud hic nullum adhuc quisquam habet. Præterea mitto literas ad Laurentium Torrentinum nostrum, bibliopolam Bononiensem, et Arnoldum Arlenium, quas summopere cupio ut ante quadragesimam proximam accipiant, si ullo pacto fieri id queat. Itaque te, mi D. Vadiane, oro et obtestor, iuvare nos hac in re pro virili et, ut solitus es hactenus, ne gravare. Theodorus Bibliander Consultationem edere instituit de bello Turcico<sup>2)</sup>, cuius partem ipse etiam legi; et certe perplacuit, neque dubito placituram etiam bonis aliis omnibus. Eam forte hic propediem prelo subiiciemus. Pestis nonnihil desiit grassari apud nos, Carolstadii et Hieronymi Rheti<sup>a)</sup> funeribus, veluti offa Cerbero obiecta, nonnihil placata. Certe ut illi, dum viverent, plurimum turbarum subinde in schola et ecclesia excitarunt<sup>b)</sup> insania illa sua graduum, quos vocant, ita, nescio quo pacto, ita adhuc persuasi sunt de illorum necessitate quidam ex magistratu nostro, ex quibus est etiam protoscriba, ut libenter ad literarum professionem me rursus reciperent, si tantum magister fierem. Adeo nondum desinunt insanire etiam boni aliqui et penes quos plurimum est provehendarum apud nos literarum momenti et auctoritatis<sup>c)</sup>. Certe literas docendi munus non detrecto, libenter, quicquid est in me, publicæ utilitati consecraturus; sed meo exemplo insaniam et contentionem malorum quorundam nuper in ecclesia et schola nostra excitatam confirmare nec volo nec possum. Mori malim. Itaque dominum precor, ut sanam mentem aliquando nostris hominibus tribuat, ut studiis consultum ex animo cupiant, non mordicus conceptam semel insaniam tenere ita perpetuo velint. Sed quid ego de his toties ad te? Nam et antea sæpius iisdem te vexavi plus

satis. Verum quia nova rursus fieri iam incipit hæc vetus insania, non potui non rursus de eadem apud te meminisse. Utinam vero sit aliquando aliquis, qui ad studiorum veritatem exhortetur et papisticam illam larvam semel melioribus rationibus detrahet! Man kendt wol ander gradus studiorum finden, quibus usi sunt etiam veteres. Sed desino. — Scripsit ad nos nuper Bucerus de dissidio principum et civitatum quædam, quæ te scire maius est operæ pretium<sup>d)</sup>. Ea ita habent, ex epistola eius ad Myconium nostrum decerpta: «Dissidium inter principes et civitates gliscit; nam et evangelici ad opprimendas civitates se coniungunt cum papistis. Unde factum est, ut nec in Svecicæ nec in Francicæ nec in Rhenanæ regionis conventu aliquid effici potuerit præparationis ad comitia; id quod quærebatur. Principes dum sua omnia in supervacaneam pompam et luxum insumunt, cuncta imperii onera conantur imponere civitatibus, cumque auxilia contra Turcam ferenda sunt, ipsi primum sibi parva decernunt et deinde occasione eorum a suis exigunt quadrupla<sup>e)</sup>, ut auxilia ea in quæstu habeant. Hinc civitatibus imponunt intolerabilia. Nostra respublica, quæ nullum agrum habet, paulo minus dat, quam unus elector, plus quam episcopus noster, marchiones Badenses omnes et tres potentes comites. Timetur itaque, ut futuris comitiis de auxiliis Turcicis parum concludi possit. Interim Turci facient, quod libuerit. Orate dominum pro patria, quæ propter contemptum et oppugnatum regnum Christi videtur pœnas datura gravissimas, et eripiemus futura ira, quos poterimus. 14. Ianuarii etc.» Hactenus Bucerus ad Myconium. Quæso te, mi D. Vadiane, ignosce, si importunior sum; ita enim etiam Myconio et Marco visum est, ut hæc ad te scriberem. Uterque te ex animo et quam officiosissime salutatur. Vale et Oporinum tuum ama. Basileę, 21. Ianuarii 1542.

*Ioannes Oporinus, tuus ex animo.*

Optimo atque reverendissimo viro D. Ioachimo Vadiano, Sangallensium consuli dignissimo, amico et domino charissimo suo.  
Sangalli.

a) „e“ für „ę“. — b) „exi-“. — c) „aut-“. — d) „c“ für „t“. — e) Die Endung ist mit dem abgerissenen Sichel in Wegfall gekommen.

1) Vgl. V, Brief 943. — 2) Die im März zur Ausgabe kommende Schrift: «Ad nominis Christiani socios Consultatio», s. dazu E. Egli: «Analecta Reformatoria» II. 47, S. 50 f.